

PA 3203  
.R6  
Copy 1



PA 3203

.R6

Copy 1

# DE CHOREGIA

ET

# CHOREUTARUM NUMERO.



## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

## SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECTUS

SCRIPSIT

H. ROSENKRANZ

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

2  
2  
2  
2  
2  
2  
2



ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIII.

PA 3203  
R6

PC

Nullum poëseos genus apud Graecos imprimis Athenienses tam praeclarum tam praestans fuit, quam scenicum, nullum genus intentiori cura amplexi, nullo genere magis delectati sunt Graeci, nullum majore gravitate et auctoritate fuit. Sed qua re tragœdia efficerit, ut summa gravitate et auctoritate esset, ex eo deducendum est, quod arctissime conjuncta cum religione et ad deos colendos adhibita est. Neque enim solum solennes scenae lustrationes, preces, sacrificia peragebantur, priusquam fabulae darentur, sed ipsa actio ad id spectabat, ut illam infixam in mentibus hominum opinionem fati explicaret. Plena est tragœdia antiqua religionis, atque constat, quam attente ii, qui spectabant, hanc rationem observaverint, et quam vehementer commoti fuerint, si quid sanctitatem religionis offendere videretur. Hodie etiam pulcherrimis tragœdiis delectamur, sed dolendum est, quod ex ingenti numero tragœdiarum olim Athenis scriptarum paucae superstites sunt, et veteres ipsi de re scenica nobis pauca tradiderunt. Quam ob rem quum universe de tragœdia Graecorum tum de singularum partium proprietatibus judicare difficillimum neque mirum est, multa adhuc esse, de quibus aut omnino non, aut non satis accurate sit disputatum. Etiam quaestio, quam mihi proposui, adhuc nondum dijudicata est, etsi omnia quae ad propositum spectent, me posse jam nunc enucleare non puto, tamen contigisse mihi spero, ut quod viri doctissimi inquisivissent, id non frustra recolerem.

---

### I. De choregia.

Lituriae, quo tempore apud Athenienses sint institutae, non jam pro certo erui potest. Antiquissimas eas esse vulgo

ex eo probatur, quod jam aetate Pisistratidarum chorégia commemoratur (v. Boeckh. Staatsh. I., pag. 596) et jam Solonem ἀντίδοσιν proposuisse civibus apud Demosthenem traditur: v. or. c. Phaen. I.: πολλὰ κάγαθὰ γένοιτ' ὁ ἄνδρες δικασταὶ, πρῶτον μὲν ὑμῖν ἄπασιν, ἐπειτα δὲ καὶ Σόλωνι τῷ νομοθετήσαντι τὸν περὶ τῶν ἀντιδόσεων νόμον. Sed neutrum valet argumentum; illud enim ex Oeconomici Aristotelis libro secundo fluxit, quem ab Aristotele ipso conscriptum hodie nemo jam putat; hoc propterea incertum est, quod choregiae omnis institutio in decem phylarum distributione est posita, quippe quae a Clisthene non a Solone Athenis sit facta. Hoc autem pro certo statui potest, nec choregiā ante ludorum scenicorum introductionem nec trierarchiam ante Themistoclis aetatem magni fuisse momenti. Sed nemo negare potest, liturgias inter omnes praeclaras Atheniensium institutiones maxime insignes fuisse, non ex aerario, sed a civibus singularibus impensae solvebantur, itaque ex rei natura sequebatur, ut cives λειτουργίας sumptu et magnificentia inter se certarent. Neque vero apud Athenienses solos erant liturgiae, sed quamquam etiam apud Lacedaemonios et in plerisque Graeciae civitatibus imprimis ionicis choregiae commemorantur, tamen nusquam tam sumptuosa aut magnifica erant. Etiam si Aristotelem ut philosophum suo jure choregiā, gymnasiorum, alia munera tamquam sumptuosa et inutilia ex civitate sublata voluisse (vid. Polit. V. 7. 11.) non ignoro, et munera illa saepissime gloriae cupiditate, jactandique sui voluntate invidiam et aemulationem civium excitasse, et bona multorum exhausisse traditur, tamen concedendum est liturgias illas civitatis auctoritatem apud exterros auxisse, quod optime illustrat Alcibiades apud Thuc. VI. 16. verbis his: καὶ ὅσα αὖ ἐν τῇ πόλει χρονγίας ἡ ἄλλῳ τῷ λαμπρύνομαι, τοῖς μὲν ἀστοῖς φθονεῖται φύσει, πρὸς δὲ τοὺς ξένους καὶ αὐτη ἰσχὺς φαίνεται, καὶ οὐκ ἄχρηστος ηδὲ ἡ ἀνοια, ὃς ἂν τοῖς ἴδιοις

τέλεσι μὴ ἔαυτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ὀφελῆ, οὐδέ γε ἄδικον ἐφ' ἔαυτῷ μέγα φρονοῦντα μὴ ἵστον εἶναι, ἐπεὶ καὶ ὁ κακῶς πράσσων πρὸς οὐδένα τῆς ξυμφορᾶς ισομοιρεῖ etc.

Distinguebantur autem liturgiae omnes in munera ordinaria, λειτουργίαις ἐγκύκλιοι nominata, ut Demosthenes in orationis c. Lept. paragrapho 21 tradit: πόσοι δή ποτ' εἰσὶν οἱ καὶ ἔνιαυτὸν τὰς ἐγκύκλιους λειτουργίας λειτουργοῦντες, munera quae quotannis erant administranda; et in extraordinaria, quae a civitate tantum necessitudine rerum coacta dabantur. Haec erant εἰσιφορὰ et τριηραρχία, illa erant, χορηγία, γυμνασιαρχία, ἑστίασις (vid. Demosth. Lept. §. 19. 20) et praecipue Wolf. prolegomena in Demosth. or. Lept. pag. 86 — 95.)

Jam ad choregiam ipsam transeamus.

Choregiās non solum civium, sed etiam inquilinorum (*τῶν μετοίκων*) fuisse, Demosthenes in orationis Lept. paragrapho 18 tradit verbis his: εἰσὶ γὰρ διῆπον παρὸς ἡμῖν αἱ τε τῶν μετοίκων λειτουργίαι καὶ αἱ πολιτικαί. Civibus longe plurima munera suscipienda fuisse, per se verisimile est; quibus festis inquilini choregiam praestiterint, non jam accurate dici potest; sed certis quibusdam festis hoc factum videtur, quam conjecturam firmat schol. ad Arist. Plut. 953 Lenaeis inquilinos quoque choregiam praestitisse narrans. Dionysiis autem magnis civibus Atheniensibus solis et choregorum et choreutarum munera subeunda erant, ut idem schol. ad Arist. Plut. 953 tradit: οὐκ ἐξῆν δὲ ξένον χορεύειν ἐν τῷ ἀστικῷ χορῷ, παρὰ τοῦτο πέπαιχεν, quod quia solus hic schol. narraverit, Hemsterhusius ita factum esse negavit. Sed nullam idoneam causam video cur hanc adnotationem falsam esse conjiciatur. Nam si tragediae et dierum festorum historiam et naturam consideramus, chorūm initio primariam et eam fuisse tragediae partem, quae ad universum populum spectaret, invenimus. Cum autem Dionysia magna Atheniensium vel Atticorum festi fuerint, facile ex mea

sententia intelligi potest, Athenienses, ut suae civitatis auctoritatem augerent, peregrinum esse choregum noluisse. Eligebantur vero choregi a phylarum praefectis ex phyletis, praefectis enim curandum erat, ut ex sua phyla, si postularetur, choregum, qui munus suscipere posset, archonti proponerent. Plures choregos fuisse una in tribu C. I. G. 213 docet; singuli ergo ex singulis tribibus secundum censum et ordinem quendam nobis ignotum eligebantur. A phylarum praefectis in ἐκκλησίᾳ ad choregorum res constituendas convocata (ut docet Demosth. Mid. p. 519) choregi nominabantur archonti, qui eos sorte poëtis chorū rogantibus assignaret; res haec erat, poëta archonta orabat — ἵγτει — archon dabat — ἐδίδον — poëta accipiebat ἐλάμβανε. Archon autem ille quin omnibus festis, exceptis Dionysiis urbanis, βασιλεὺς fuerit equidem non dubito, cum ad hunc pertineret omnis quae ad res sacras spectabat, ut jurisdictio sic administratio.

Pollux quidem (v. VIII. 89. 90) dicit, Dionysiis et Thargeliis archonta eponymum, mysteriis Lenaeiis, iis ludis, quibus ἀγῶνες ἐπὶ λαυράδι edebantur, regulum fuisse. De Dionysiis Polluci puto assentiendum, quum in Demosthenis Midiana semper legatur simpliciter ἄρχων, quo nomine atticos oratores neminem nisi ἐπώνυμον appellare constat, etiam alteram causam, cur Dionysiis urbanis ἄρχων ἐπώνυμος fuerit, afferre possumus: ut jam supra diximus, Dionysiis magnis cives Athenienses soli, ut suae civitatis auctoritatem augerent, et choregorum et choreutarum munera suscepérunt, eadem de causa, ut mihi videtur, archon ἐπώνυμος, qui erat civitatis princeps, his ludis praesedit.

Quo ordine chori prodierint nescimus, forsitan eo, quo semper phylae nominabantur, ita ut Erechtheis semper prima, Antiochis semper ultima esset, quamquam hunc ordinem ad jura muneraque phylarum nil valuisse notum est (v. K. F. Herrmann 319. 321) sed ordo quidam praestitutus esse videtur, quod docent verba Demosthenis Phil. I. 36: ὅτι

ἐκεῖνα μὲν ἀπάντα νόμῳ τέτακται, καὶ πρόοιδεν ἔκαστος ὑμῶν ἐκ πολλοῦ, τίς χορηγὸς ἢ γυμνασίαρχος τῆς φυλῆς, quibus ex verbis etiam concludi potest, choregos multo ante ludos agendos eligi, ne qua insperata edendorum illorum existeret difficultas; jam primo mense post dies festos choregos eligi testatur ὑπόθεσις ad Demosth. orat. Mid. πανομένης δὲ τῆς ἑορτῆς ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ προύβαλλοντο οἱ χορηγοὶ τῆς μελλουσῆς ἑορτῆς.

Ac pro sua quisque tribu munus hoc subire solebat, ex multis enim oratorum Atticorum locis constat non pro se choregum, sed tribum viciisse, quam repreäsentarit choregus. Imprimis id discimus ex permultis orationis Midianaे locis, quibus Demosthenes semper id urget, Midiam non tam se ipsum, quam phylam, quam repreäsentarit in choregia praestanda injuria affecisse, conf. pag. 520: ἐμοῦ μὲν ὑβρισε τὸ σῶμα, τῇ φυλῇ δὲ πραττούσῃ τὸν ἀγῶνα αἰτιώτατος τοῦ μὴ νικῆσαι κατέστη. Non solum unam phylam, sed totum populum, rem publicam, leges, Midiam injuria affecisse dicit Demosthenes pag. 525: ἄμα γὰρ τῷ Δημοσθένει καὶ ὁ χορηγὸς ὑβρίζετο, τοῦτο δὲστὶ τῆς πόλεως ὄνομα καὶ τὸ ταύταις ταῖς ἡμέραις, αἷς οὐκ ἴωσιν οἱ νόμοι. Omnes denique, quos Midias injuria affecerit pag. 556 complectitur: οὐκ ἔσθ' ἐφ' ὅτῳ τῶν πεπραγμένων ἐγὼ μόνος ἡδίκημαι, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοῖς εἰς τὸν χορὸν γεγενημένοις ἀδικήμασιν ἡ φυλὴ, τὸ δέκατον μέρος ὑμῶν, συνηδίκηται, ἐπὶ δ' οἷς ἐμὲ ὑβρισε καὶ ἐπεβούλευσεν, οἱ νόμοι, δι' οὓς εἰς ἔκαστος ὑμῶν σῶς ἔστιν. ἐφ' ἀπάσι δὲ τούτοις ὁ Θεός, φῶς χορηγὸς ἐγὼ καθειστήκειν, καὶ τῆς ὁσίας, ὅτι δίποτ' ἔστι, τὸ σεμνὸν καὶ τὸ δαιμόνιον συνηδίκηται.

Ergo pro sua tribu munus hoc subire solebat choregus, sed accidebat interdum, ut deficientibus choregis unus pro duabus simul tribubus chorū exornaret, et vel pro una vel pro duabus civitas ipsa munus susciperet, conf. C. I. G. 225 et 226 ubi legimus, deficientibus choregis populū ipsum

et Hippothontidi et Pandionidi subvenisse. Sed ut unus pro duabus simul tribubus chorum exornaret, accidisse iis temporibus, quibus Atheniensium civitas non solum opibus sed etiam divitiis florebat, quibus etiam tragoedia summam gloriam assecuta erat, nulla extant testimonia. Quibus temporibus quaeque phyla archonti choregos proponere potuerit, atque turpe fuisse puto, si quam phylam illo tempore choregus defecisset et alia chorum exornasset, quod docet ἵπόθεσις ad Demosthenis orat. Midian.: *ἰδὼν ὁ Δημοσθένης τὴν ἑαυτοῦ φυλὴν ἀτιμαζομένην παρὰ πάντων τῷ μὴ κεντῆσθαι χορηγὸν.*

Maxime enim intererat phylae choregum proponere, cum ipsa, non choregus, victoriae gloriam reportaret, ut supra explicavimus, et phylae nomen in eo, qui victoriae pro memoria collocabatur, tripode legeretur. Cum autem bellum Peloponnesiacum et triginta virorum tyrannis Atheniensium opes et divitias valde imminuissent, choros non tam splendide ac magnifice, ut prioribus temporibus, esse exornatos, nonnullas phylas choregos proponere non potuisse, immo vero e comoedia media chorum omnino evanuisse, inventimus. Quam ob causam Olymp. 92, 1. plebiscito constitutum est, a duabus simul phylis chorum exornandum esse; conf. schol. ad Aristoph. Ran. 404: *ἴσικε δὲ παρεμφαίνειν ὅτι ἥδη λιτῶς ἔχορηγετο τοῖς ποιηταῖς, ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου φησίν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς.*

Neminem aut per duos annos munus ullum continuare, aut primo anno, si quid dedisset, altero aliud praestare, aut duas uno anno liturgias administrare cogi, docent Demosthenis orationes: conf. Lept. §. 9 (p. 459): *ἐνιαυτὸν διαλιπῶν ἔκαστος λιτουργεῖ, ὡστε τὸν ἥμισυν ἐστ' ἀτελῆς τοῦ χρόνου* et §. 19. (p. 463): *οἱ μὲν τοίνυν πλουσιώτατοι τριηραρχοῦντες ἀεὶ τῶν χορηγιῶν ἀτελεῖς ὑπάρχουσιν.* *Ἀτελεῖα* aut munera vacatione ipso jure omnes Athenienses oī *ελάττω τῶν ἴκανῶν*

*πεντημένοι* fruebantur, quae ἀτέλεια a Demosthene ἀναγκαῖα nominata est (Lept. §. 19.) sed ικανὰ erant ad choregiam praestandam tria talenta (v. Demosth. 27. 64. Isaeus 3. 80) ergo, qui tribus talentis minus habebant, munerum omnium fruebantur vacatione. Parentibus orbi tum demum ad praestandam choregiam cogi poterant, postquam jam unum annum suae potestatis fuerant, quod ante tempus ἀτελεῖς erant.

Honoris causa viris de civitate optime meritis eorumque posteris ἀτέλεια tribuebatur, sed non eorum munerum, quae ad servandam et defendendam patriam pertinebant, ut tradit Demosthenes Lept. pag. 462: *τῶν γὰρ εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως εἰσφροῦν καὶ τοιηραρχῶν ὄρθως καὶ δικαιώς οὐδεὶς ἐστ’ ἀτελῆς ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων.*

Sed is, qui chorū exornare designatus erat, si quem esse opulentiorē putabat, ab eo petere poterat, ut aut ipse munus susciperet aut secum facultates permutaret, quod constitutum erat veteri lege περὶ ἀντιδόσεων. Alterutrum facere cogebarūt. Nisi facultates suas cum altero permutare volebat, munus susciperet necesse erat, sin autem facultates permutabat, alter choregiam praestare cogebarūt. Nec tantum facultates bona omnia, sed etiam postulata et onera permutabantur, quod ex Demosthenis vita discimus. Demostheni enim, cum tutorēs praecipue Aphobum accusasset et rem ad judices detulisset, nonnullos dies ante actionem Thrasyllochus et Midias designati ad praestandam liturgiam ἀντίδοσιν obtulerunt. Demosthenes ἀντίδοσιν accipere voluit, si jus a tutoribus postulandi, quae sibi essent, tenere posset, quod non consecutus munus suscepit. Ex verbis Demosthenis Lept. pag. 469: *καὶ μὴν οὐδ’ ὅπως οὐκ ἀντιδώσει τῷ Λεύκωνι τις, ἐάν βούληται, δύναμαι σκοπούμενος εὑρεῖν. Χρήματα μὲν γάρ ἔστιν ἀεὶ παρ’ ὑμῖν αὐτοῦ, κατὰ δὲ τὸν νόμον τοῦτον, ἐάν τις ἐπ’ αὐτὰ ἔλθῃ ἢ στερήσεται τούτων, ἢ λειτουργεῖν ἀναγκασθήσεται* appareat civem Atheniensem,

etiamsi Athenis non ipse adesset, facultates autem aut bona sua Athenis haberet, liturgiam praestare cogi.

Contra hoc fiebat, ut sponte aliqui choregiam susciperent, ut docet exemplum Demosthenis Mid. pag. 519: *παρελθὼν ὑπεσχόμην ἐγώ χορηγήσειν ἐθελοντής.*

Praestanda vero chorego erant haec:

Ante omnia colligendi ei erant choreutae sive pueri sive juvenes sive viri (vid. Boeckh. ad C. I. G. 355) omnibus autem diebus festis choreutae cives liberi, Dionysiis magnis liberi Athenienses essent, necesse erat, peregrinos in chororum recipere non licebat, vid. Demosth. Mid. pag. 532: *καὶ μὴν ἵστε γε τοῦθ', ὅτι βουλόμενοι μηδέν' ἀγωνίζεσθαι ξένον* et Plut. Phoc. 30.

Ex sua autem quisque tribu chororum colligebat choregus, nam φυλῶν maxime victoria ut reportaretur intererat; alios qui non phyletae erant, conductos esse a choregis, nescimus. Saepe chororum colligere vel conducere difficillimum fuit puerilem, cum parentes ne corrumperentur filii a magistro propter turpissimum, qui apud veteres tritus erat, puerorum amorem jure vererentur, quos pignore ablato filios ut concederent cogere chorego licebat, quod discimus ex verbis Antiph.: *περὶ τοῦ χοροῦ. § 11: ἔπειτα τὸν χορὸν συνέλεξα ὡς ἐδυνάμην ἄριστα, οὕτε ζημιώσας οὐδένα, οὕτε ἐνέχυρα βίᾳ φέρων οὔτ' ἀπεχθανόμενος οὐδενί, ἀλλ' ὥσπερ ἂν ἥδιστα καὶ ἐπιτηδειότατα ἀμφοτέροις ἐγίγνετο, ἐγὼ μὲν ἐκέλευον καὶ ἥγούμην, οἱ δὲ ἐκόντες καὶ βουλόμενοι ἔπειπον.* Sed lege quadam sanctum erat, ne quis ante quadragesimum annum chorum puerorum daret, ut tradit Aesch. or. c. Timarch. pag. 39, §. 11: *οἱ δὲ χορηγοὶ οἱ παθιστάμενοι ὑπὸ τοῦ δήμου ἔστωσαν τὴν ἡλικίην ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη.* Lysiae vero oratio XXI. 4 docet, illius tempore eam non jam esse respectam, ubi is, qui se anno 411 togam virilem sumpsisse dicit (togam virilem Athenienses sumebant post annum aetatis XVIII. Schoemann I. 360) se jam anno 403 puerorum chorum praebuisse praedicat.

Krause quidem (Ag. I. 184) quadraginta annorum aetatem de omnibus choregis valere contendit, sed ad ceteras choregias, cur viri juniores non sint admissi, non intelligere me profiteor. Prioribus temporibus choregus etiam coryphaei munere fungebatur, ut testatur Suidas: *χορηγὸς ὁ τοῦ χοροῦ ἡγούμενος καὶ δοτῆρ*. Sed quis erat coryphaeus? Suidas coryphaeum *τὸν πρῶτον τῶν χορευτῶν* dicit atque similiter schol. ad Aristoph. Plut. 953. Tragicus chorus constabat, ut infra explicabimus ex quindecim personis. Quadrato vero agmine orchestrā ingrediebatur chorus, erant enim aut tres ordines ex quinis, aut quinque juga ex ternis constantia, ut Pollux IV. 108 docet: *μέρη δὲ χοροῦ, στοῖχος, ζυγὸς καὶ τραγικού μὲν χοροῦ, ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε. πεντεκαίδεκα γὰρ ἥσαν ὁ χορὸς. καὶ κατὰ τρεῖς μὲν εἰσήσαν, εἰ κατὰ ζυγὰ γίγνοιτο ἡ πάροδος, εἰ δὲ κατὰ στοίχους, ἀνὰ πέντε εἰσήσαν.* Omnia autem, quae ad chori adornationem et collocationem pertinent, ad theatrum et spectatores, non ad scenam et histriones referenda sunt; ergo si chori ordines orchestrā ingrediuntur, ordo theatro proximus honestissimus est, ut tradit schol. ad Aristid. pag. 536: *ἄμεινον οὖν ἡμᾶς ἔξεργάσεσθαι ὅτι ὁ χορὸς, ὅτε εἰσήσει ἐν τῇ ὁρχήστρᾳ, ἢ ἔστι θυμέλη, ἐξ ἀριστερῶν αὐτῆς εἰσήρχετο, ἵνα εὑρεθῆ ἐκ δεξιῶν τοῦ ἀρχοντος, τὸν οὖν καλοὺς τῶν χορευτῶν ἔταττον εἰσιόντες ἐν τοῖς ἑαυτῶν ἀριστεροῖς, ἵνα εύρεθῶσι πρὸς τὸν δῆμον ὁρῶντες* (conf. Muelleri edit. Eumenid.) quibus verbis etiam firmare possumus, omnia quae ad chori dispositionem pertineant, ad spectatores referenda esse. Vulgo autem a dextero latere ingrediebatur chorus, ut testatur schol. ad Aristid. III. p. 535: *ὅτε γὰρ εἰσήσαν οἱ χοροὶ πλαγίως βαδίζοντες ἐποιοῦντο τοὺς ὕμνους καὶ εἶχον τοὺς θεατὰς ἐν ἀριστερᾷ αὐτῶν καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ χοροῦ ἀριστερὸν ἐπεῖχον,* ergo spectatores in sinistra habebant chorae, itaque si depingimus ordines

l	m	n	o	p
f	g	h	i	k
a	b	c	d	e

ordo abede ad theatrum spectat, e locum honestissimum tenet, ut tradit Photius I.: *συνέβαινεν οὖν τὸν μέσον τοῦ ἀριστεροῦ στοῖχον τὴν ἐπιτιμοτάτην καὶ τὴν οἶον τοῦ πρωτοστάτου χώραν ἐπέχειν καὶ στάσιν*, quem choreutam coryphaeum nominatum esse puto; ergo c est chori dux in ejus saltationibus.\*)

Posterioribus temporibus ab hoc officio recedebat choragus, quod concludere possumus ex verbis Demetrii apud Athen. XIV. 633: *ἐκάλουν δὲ καὶ χορηγοὺς οὐχ ὥσπερ νῦν τοὺς μισθομένους τοὺς χοροὺς ἀλλὰ τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, καθάπερ αὐτὸ τούρομα σημαίνει.*

Choro coacto conclave aliquod seu domi suae seu alibi debebat aperire (*διδασκαλεῖον vel χορηγεῖον* Pollux IV. 42). Pericles cum odeum aedificasset, etiam illuc choros exercere licebat (Wachsm. hellen. Altherth. II. 676). Jam magister choro ut praeficeretur oportebat, cui num ad saltationem exercendam *όρχηστοδιδασκάλος*, qui saepe commemoratur, fuerit additus, nescimus. Sed prioribus temporibus hoc pro certo statui potest, poëtas ipsos *χοροδιδασκάλους* fuisse et chorum omnia docuisse, cum arctissime essent conjunctae tres illae artes: poësis, musice, orchestice, quod Boettigerus in dissertatione: „Quid sit docere fabulam“ in Opusc. p. 287 rectissime demonstravit, etiam firmatur eo, quod apud Athen. I. 22 antiquissimi illi poëtae Thespis, Pratinas, Phrynicus *όχηστικοὶ* vecantur et in choris instruendis excelluisse dicuntur; idem etiam Suidas testatur v. *διδάσκαλος*. Num

\*) Ordines chori duodecim personarum ita depingendi sunt:

i	k	l	m
e	f	g	h
a	b	c	d

utrum b an c fuerit coryphaeus dici non potest.

poëtae munere hoc perfuncti a choregis mercedem acceperint, nescimus. Posterioribus autem temporibus poëtae, ut etiam choregi a coryphaei munere, ab hoc officio recedebant, et chori praeceptores, *ὑποδιδάσκαλοι* nominati, qui a choregis mercedem accipiebant, muneri chori instruendi praeficiebantur, sed tamen poëtas ipsos, quorum maxime intererat, ut vincenter, exercitationes inspexisse, conjicimus. Sed optimum sibi quemque chori praecceptorem quaesivisse intentissima cura, non est, quod pluribus demonstrem; quippe ex cuius imprimis virtute choregiae penderet eventus. Inde ne simultates exorerentur, pluribus eundem flagitantibus, sortitio fiebat, quisnam prior choro didascalum sibi elegeret, (Boeckh. Staatsh. I. p. 602, Demost. c. Mid. p. 519, Aristoph. Av. 1404) quod utrum lege cautum an usu factum sit, ignoro.

Ac non solum tectum choreutis praebebat choregus, sed etiam cibum potumque vel alimenta (Boeckh. Staatsh. I. 603) quam rem praecipue poëtae comici choreutarum edacitatem vinoletiamque agitantes carpserunt. Praeterea necesse erat, ut choregus conduceret viros, qui, ut choreutis, dum exercabantur, alimenta praeberentur, curarent; diebus autem festis, choregus ipse ut non tantum choreutis sed etiam spectatoribus alimenta praeberentur, curabat v. Philoch. apud Athen. XI. 464. Etiam magnificae vestes aureaeque coronae, quibus ornati decore et splendide pompis et ludis interesse possent choreutae, chorego parandae erant: v. Demosth. c. Mid. pag. 520, §. 16—18.

Choreutis mercedem solvisse choregum primus contendit Boeckhius idemque Xen. Resp. Athen. I. 13 docet, cum usque ad illum F. A. Wolfi stetisset sententia, qui gratuitam operam Athenienses fabulis agendis deditse dixerat (v. Prolegg. ad Demosth. Lept. p. 93, adn.) nullo addito arguento.

Actorum vestimenta num suppeditarit choregus tragicus, non potest discerni, cum veterum testimonia non exstant; affirmat Wolfius (Prolegg. ad Demosth. Lept. pag. 91):

„Nihil enim, inquit, dubitandum quin ejusdem, qui chorus  
scenicis sumptum suggereret, commissio totius ludi esset“;  
negat Boeckhius merito eam, quae apud Plutarchum est,  
narrationem, quippe errorum refertam, nil valere dictitans  
et hoc addens actores poëtae non chorego fuisse assignatos.  
Fortasse theatri conductorem, cui externa scenae adornatio  
paranda erat, actorum vestimenta suppeditasse, conjiciemus.  
Ac ne hoc quidem traditum est, num eos, qui δορυφόρημα  
effecissent, homines choregus suo sumptu vestiverit; fieri id  
potuisse Bernhardy (II. 644) censem; sed choregum quidquam  
quod ad scenam spectaret, parasse, ego non puto. Hoc  
autem constare videtur, eum qui tragicum chororum sortitus  
esset, tetralogiae eum universae instituisse: v. Boeckh. ad  
C. I. G. I. pag. 380.

Unum mensem ante diem festum choregos convocabat  
archon, ut tibicines sortirentur, quod tradit ὑπόθεσις ad  
Demosth. or. c. Mid.: ἔθος δὲ ἦν πρὸ μηνὸς τῆς ἔορτῆς  
τὸν ἄρχοντα συνάγειν τὸν χορηγὸν ἐκάστης φυλῆς εἰς τὸ  
λαζεῖν περὶ τῶν αἰλητῶν.

Choreutae atque ut videtur etiam choregi, donec exercebantur, omni vacabant militia vid. Demosth. c. Mid. 519,  
§. 15: ὅσα μὲν οὖν τὸν χορευτὰς ἐναντιούμενος ἡμῖν  
ἀφεθῆναι τῆς στρατείας etc. et Pseudo-Demosth. in Neaer.  
p. 1353: Ludis peractis victoriam si reportaverat chorus,  
choregus ipse corona ornabatur (v. Demosth. c. Mid. p. 532,  
§. 55), praeterea in didascaliis choregorum nomina perscri-  
bebantur, cujus rei exempla apud Boeckhium in C. I. G. 221.  
223. 226 exstant; dicitur de chorego in his monumentis solum  
ἐχορήγει. In tribus autem honorem tripodem in via tripodium,  
quae a Bacchi templo ad Pythii aedem pertinebat, vel in  
templo ipso dedicabat choregus, cui pro inscriptione insculpta  
erant tribus, choregi, choreutarum, generis, chorodidascali  
nomina. (Helbig. quaest. scenic. 8. 9) quamquam modo hoc  
modo illud omittebatur.

Praeterea victor solemne faciebat sacrificium, quod choreutae concelebrabant (Plato Sympos. pag. 173 A.). Restat ut de impensis dicam, quae chorego erant facienda; longe plurimo constitisse chorum tibicinum Demosthenes docet; v. orat. c. Mid. pag. 565: *τραγῳδοῖς κεχορήγηκε ποθ' οὐτος ἔγώ δὲ αὐληταῖς ἀνδράσι καὶ στι τοῦτο τὸ ἀνάλωμα ἐκείνης τῆς δαπάνης πλέον ἔστι πολλῷ, οὐδεὶς ἀγνοεῖ δήπου.* Quod F. A. Wolf affert ad rem explicandem probare non possum. (Prolegg. ad orat. Lept. pag. 93 adn.): „Possunt fuisse, inquit, rei aliae causae, quas ignoramus. Unam conjecterim fuisse hanc, quod quum fabulis agendis cives gratuitam operam darent, ad illud (munus) peregrini artifices conductendi essent. Et omnino apud veteres parva mercede non erant contenti tales artifices.“ Nam ne peregrini chorum efficerent interdictum fuisse supra exposui. Evidem in causa puto fuisse hoc, quod exercitatio eorum et difficilior et longior, et pluris stabat, mercesque iis major pendebatur, cum non quilibet ad hunc chorum posset adscisci, sed iumentum, qui tibiarum artis jam essent periti.

Minoris stabat chorus tragicus, vid. modo laudata Demosthenis verba or. c. Mid. pag. 565. Lysias XIX. 29 et 42 docet, quanti constiterit choregia tragica, verba sunt haec: *ἐν οὐν τέταρσιν ἡ πέντε ἔτεσι, πρότερον μὴ ὑπαρχοίσης οὔσιας, χαλεπόν, ὡς ἄνδρει δικασταὶ, τραγῳδοῖς τε δἰς χορηγῆσαι ὑπὲρ αὐτοῦ τὲ καὶ σοῦ πατρός; ετ: κατεχορήγησε δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τοῖ πατρὸς πενταποσχιλίας δραχμάς.* Singulare munificentiae exemplum exhibit oratio Lysiae XXI., ubi is, cui rhetor orationem illam conscripsit, se novem annis octies choregiām praestitisse et minas CIL in eas impendisse praedicat, praeterea IX talenta aliis pro liturgiis consumpissee — sed addit: *τούτων, ὅν κατέλεξα, εἰ ἔβουλόμην κατὰ τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ λειτουργῶν οὐδ' ἀν τὸ τέταρτον μέρος ἀνήλωσα.* De ceteris liturgiis nihil pro certo dici potest.

Plurimum autem intererat, quo die festo choregia esset administranda; nam Dionysiis magnis pluris quam Thargeliis choregias constitisse non est quod pluribus demonstrem.

## II. De choreutarum numero.

Multi viri docti quaestionem, ex quot choreutis constiterit chorus tragicus, tractaverunt, ex quibus praecipue laudo Ottf. Müllerum (Eumenid. edit.), G. Hermannum (dissert. de choro Eumenidum), Boeckhium (de Graecae tragoeiae principibus) quorum scriptis in inquirenda hac re praecipue usus sum.

Sed priusquam rem ipsam aggrediar, veterum testimonia afferam: Pollux IV. 109 ex quindecim personis chorū constitisse testatur: καὶ τραγικοῦ μὲν χοροῦ ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν, καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε, πεντεκαίδεκα γὰρ ἡσαν ὁ χορός; tamen statim addit haec: τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἡσαν ἔχοι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττῳ ἀριθμὸν τὸν χορόν.

Sed plura exstant testimonia, chorū constitisse ex quindecim personis: Suidas v. χορός · τραγικὸς ἐξ οὐ τροφώπων. Schol. ad Aristoph. Av. 298: ὁ δὲ τραγικὸς (scil. χορὸς) οὐ πρόσωπα ἔχει. Id. ad Eqq. 586: συνειστήκει δὲ ὁ χορὸς — ὁ τραγικὸς ἐξ οὐ, ὡς Αἰσχύλος Αγαμέμνονος. Schol. ad Aeschyl. Eumen. 575: τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς, ἀλλὰ πρὸς τὸν χορόν: οὐ γὰρ ἡσαν.

Praeterea invenimus alios esse traditos numeros, tria exstant testimonia chorū constitisse ex quattuordecim personis: vita Aeschyli Robortelliana pag. 12: χορὸς δὲ τῶν τραγῳδῶν συνιστᾶται ἐξ ιδὸς ἀνδρῶν. In schol. ad Dionys. Thr. (apud Bekkerum in Anecd. 746) ἡσαν δὲ τῶν μὲν τραγῳδῶν χορευταὶ δέκα τέσσαρες . apud Tzetz. in Prolegg. ad Lycophr. pag. I.: τὴν δὲ τραγῳδίαν καὶ τοὺς σατύρους ἐπίσης μὲν ἔχειν χορευτὰς ιδ'. Quae testimonia Hermannus

in dissertatione II. de chorō Eumenidum ita interpretatur, ut non aliud quam error fuerit librariorum; fortasse omissus est coryphaeus in hoc numero. Cum chorus tragicus τετράγωνος sit, ut docet Tzetz. Prolegg. ad Lycophr. I.: *τραγικῶν δὲ καὶ σατυρικῶν καὶ πωμικῶν ποιητῶν κοινὸν μὲν τὸ τετραγώνως ἔχειν ιστάμενον τὸν χορόν*, chorus quattuordecim personarum in quadratam formam redigere difficillimum est: nam si chorus constitisset ex XIV. personis, duo στοῖχοι, septem ζυγὰ efficerentur, quae chori dispositio nullum pulchrum adspectum praebuisse. Similiter judicandum est de choro tredecim personarum, qui nullo modo in quadratam formam redigi potest neque a veteribus traditus est. Ergo valde discrepant testimonia de choreutarum numero; quae quomodo conciliemus? quod Boeckhius in libro de Graecae tragœdiae principibus conatur modo hoc: „Qui choregus tres — coryphaeum et duorum hemichoriorum duces — in Aeschylo non numeraret, in Sophocle numeraret, errore facile, fortasse ductus fama quapiam obscura antiquitus tradita, is Aeschylum duodecim, Sophoclem quindecim personarum chorus habuisse poterat dicere.“ Sed statim addit: chorus duodecim personarum omnino negari non posse. Inter Hermannum et Muellerum magna est dissensio. Hermannus chorus umquam constitisse ex quinquaginta personis negat: „Nam non modo parum idoneus auctor est Pollux, qui solus hoc tradidit, sed ne per se quidem res credibilis est, praesertim in tanto ceterorum scriptorum silentio. Si usque ad Eumenides chori personae quinquaginta erant, totidem et jam in Agamemnone par est, contra si jam in Agamemnone chorus e quindecim personis constabat, eundem in Eumenidum choro numerum fuisse probabile est.“ Contendit Hermannus, Pollucem chorus dithyrambicū cum tragico permutasse, L personarum chorus proprium esse dithyramborum; quem chorus constitisse e quinquaginta personis extant testimonia: v. Simonidis epigramma apud Bentleium in Brunckii Analectis vol. I., p. 137: *πεντήκοντ'*

ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ, τυμ scholiasten Aeschinis in Timarch. pag. 121, ed. Reiske: ἐξ ἔθους Ἀθηναῖοι κατὰ φυλὴν κατέστησαν πεντίκοντα παιδῶν χορὸν ἢ ἀνδρῶν, ὥστε γενέσθαι δέκα χοροὺς, ἐπειδὴ καὶ δέκα φυλαὶ, διαγωνίζονται δὲ ἄλληλοις διθυράμβῳ, φυλάττοντος τοῦ χορηγοῦντος ἐκάστῳ χορῶν τὰ ἐπιτήδεια. Tztz. in Prolegg. ad Lycophr.: λυριῶν δὲ γνωρίσματα — καὶ χορὸς ἐστὼς κυκλικῶς ἀνδρος ἔχων πεντίκοντα.

Hermannus igitur (dissert. II., pag. 141) constitisse initio chorū e duodecim personis, aliquanto ante Sophoclem a duodecim personis ad quindecim auctum esse censem. Sed Hermanni sententiae ego quidem assentiri non possum. Etsi Pollucem parum idoneum auctorum esse concedendum est, tamen sententia, ne per se quidem rem credibilem esse, non recta esse mihi videtur; et chorū tragicum initio constitisse e quinquaginta personis pro viribus explicare conabor.

Contemplemur quaeso tragediae initia, quae quamquam obscurissima sunt, tamen pro certo statui potest hoc: Ut jam praefatione explicavimus, tragedia arctissime erat conjuncta cum religione; praecipue festis Bacchicis ab initio delectationes mimicae (sit venia verbis) dabantur. Dithyrambus, initio Dionysii nomen, erat carmen, quod a satyris ad deum celebrandum canebatur, quo in dithyrambo excollendo Arion excelluisse dicitur (vid. Herodot. I. 23. Schol. ad Arist. Av. 1403) qui fortasse primus χορὸν κυκλικὸν e quinquaginta personis constantem instituerit. Arion autem satyros non solum canentes, sed etiam loquentes induxit, quod ex verbis Athen. 14, pag. 630. Diogen. Laert. 3. 56, Arist. poet. 4. 15 concludere possumus, erat igitur jam dithyrambus, ut ita dicam, tragedia. Tragediam arctissime esse conjunctam cum dithyrambo certum est, hoc loco solam hanc causam affero, quod in dithyrambo artem mimicam, primam tragediae partem, inesse veteres docent; praeterea

dithyrambi genus τραγικὸν τρόπον appellari, quin etiam poëtarum melicorum δράματα τραγικὰ laudari invénimus, ut Pindari; fuerunt haec carmina quasi dithyrambica, in quibus ars mimica locum primum tenuit. Laetitiam exsultantem et luctus magnos carminibus dithyrambicis veteres expresserunt, quae duo genera cum tempore, quo festi Bacchici dabantur, vere et auctumno, optime conjungimus, vere carmen exsultans, auctumno grave seriumque esse cantatum facile conjicitur: quo ex carmine tragoediam esse ortam Aristoteles Poet. 4 disertis verbis testatur: γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικὴ καὶ αὐτὴ (scil. τραγῳδία) καὶ ἡ κωμῳδία, καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον etc.

Itaque cum dithyrambi chorus e quinquaginta constiterit personis, ut testantur veteres, etiam tragoediae chorūm, cum tam arcta cohaereret cum dithyrambo, initio constitisse e totidem, jure ex mea sententia conjicimus. Quamobrem Pollucis annotatio: παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἡσαν, recta esse mihi videtur, quamquam est concedendum, causam, quam addit Pollux, cur deminutus sit chorus: πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν (scil. Εὑμενίδων) τοῦ πλήθους ἐκπτοθέντος συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἀλάττω ἀριθμὸν τὸν χορὸν, ab Hermanno satis esse refutatam. Etiam Hermanni sententia (dissert. II, pag. 141) chorūm aliquanto ante Sophoclem a duodecim personis ad quindecim auctum esse mihi non placet. Nullam idoneam causam video, cur recedamus a testimoniis veterum, qui disertis verbis testantur, chorūm a Sophocle a XII ad XV personas esse auctum, praesertim cum Suidas, cuius auctoritas negari non potest, hoc doceat: v. Σοφοκλῆς . πρῶτος τὸν χορὸν ἐκ πεντεκαίδεκα εἰςήγαγε νέων, πρότερον δυοκαίδεκα εἰςιόντων, praeterea testimonium extet in Sophoclis vita: τοὺς χορευτὰς ποιῆσαι ἀντὶ δώδεκα πεντεκαίδεκα. Itaque cum Sophocles multa in re tragica novaverit, pro tota tetralogia una fabula certaverit (quod

quid sit infra explanabitur) tertiumque actorem addiderit, causa inveniri nequit, cur Sophocles non etiam chorū a duodecim ad quindecim personas auxerit.

Sed quomodo sententiam, constitisse initio chorū e quinquaginta personis, cum altera, Aeschylum produxisse tantum duodecim, conciliemus?

In tractanda hac quaestione illam ingeniosam O. Muelleri conjectoram (in Eumenid. edit.) probo, conjectit enim haec: Etiam tragœdiae chorū antiquitus ex quinquaginta choreutis constitisse, atque cum quattuor tetralogiae fabulae essent, in quattuor partes chorū dividere potuisse poëtam, cumque chorus quinquaginta personarum non commode in quattuor partes dividi posset, et chorus tragicus *τετράγωνος* esset, numerumque choreutarum in quadratam formam redigi necesse esset, totum tetralogiae chorū quadraginta octo personas habuisse, quem numerum Aeschylum in quattuor aequales partes divisisse, ut unicuique tetralogiae fabulae duodecim personarum chorus exstiterit. Quam conjectoram G. Hermannus refutare conatus est, sed causas, quas attulit ad defendendam conjectoram Muellerus, non conjecturam ipsam diluit. Muellerus attulit causas has: choreutas non tam eruditos fuisse, ut tot saltationes, tot taliaque carmina memoria tenere possent, non eosdem choreutas in omnibus quattuor tetralogiae fabulis agere potuisse, non eosdem aptos fuisse ad personas senum, mulierum, furiarum, satyrorum exprimendas, eosdem choreutas vim saltandi cantandique per quattuor fabulas tolerare non potuisse, atque intersingulas fabulas alia vestimenta induendi tempus defecisse. Etsi Muelleri argumentatio refutari potest, tamen illa subtilis conjectura ipsa adhuc non refutata est. Sed aliae causae ad defendendam conjecturam afferri possunt. Supra explicavimus, tragicum chorū, cum tam arce cum dithyrambo cohaeret, antiquitus habuisse eundem numerum ac dithyrambicū, neque puto Athenienses, qui tantopere dramatica

poësi delectabantur, aequo animo tulisse, si tam splendidus chorus paene ad quartam sui partem redactus esset, praesertim cum antiquitus chorus esset primaria tragoeiae pars atque in choro, ut ita dicam, tota actio esset posita. Altera causa est haec:

Nemo ignorat poëtas tragicos certavisse tetralogiis, quae ex tribus tragoeidiis et una fabula satyrica constabant; — utrum omnes fabulae uno argumento cohaeserint, an singulæ diversum a ceteris argumentum habuerint, in inquirenda nostra quaestione nil interest, quamquam lege aut more numquam sanctum erat, ut fabulae cohaererent uno argumento. Id quo tempore fuerit institutum nescimus, sed verisimile est, ut demonstravit Welckerus, Aeschylum primum tetralogias in scenam produxisse. Quae cum ita sint, ex ipsa rei natura sequi mihi videtur, ut Aeschylus chorū pro tota tetralogia acceptū in singulas fabulas diviserit. Ergo alterum alteri consequens erat.

Attamen Aeschylum ipsum etiam chorū quindecim personarum produxisse invenimus: nam chorū in Aeschyli „Septem“ constitisse e quindecim personis nemo jam negat. Haec quomodo inter se cohaereant videamus. Sed ut recte de hac re judicemus, tragoeiae historiam perspiciamus necesse est. Tres enim periodos discernere possumus, prima florebant poëtae Thespis, Choerilus, Pratinas, Phrynicus, de quibus poëtis veteres pauca tradiderunt. Aeschylus, cum primam victoriam reportasset anno quadragesimo octogesimo quinto, quo incipit altera periodus, exstitit in re tragica quasi legislator, ac multa in re scenica novavit, ut docet Aristoteles in libro de arte poëtica c. IV.: *καὶ τὸ τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἐνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἡλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν.* Sed cum Aeschylus victus esset a Sophocle anno quadragesimo sexagesimo nono, quo anno incipit periodus tertia, Sophocles quoque in re tragica

novare potuit; et novavit haec: Sophoclem primum coepisse una tragoezia certare, Suidas auctor est, quae sententia quomodo explicanda sit, viri docti valde dissentunt.

K. F. Hermannus verba ita explicare conatus est: post Sophoclem singulas fabulas comparatas, et quoque die unam eujusque poëtae fabulam in scenam esse productam. Sed hoc si factum esset, quarto die festo quattuor fabulae satyricaे in scenam essent productae, quod probabile non est.

Boeckhius (Bergk. Bernhardy) hoc non omnibus diebus festis, sed Lenaeis solis et Dionysiis parvis factum esse putat.

Schœllius totam Suidae sententiam falsam esse censem.

Similiter judicat Dindorfius, putat enim: Sophoclis nomini hoc errore adscriptum, Phrynicus esse adscribendum.

Etiam post Sophoclis tempora tetralogias in scenam produci solitas constat, neque puto Suidae verba esse ita explicanda, ut Sophocles una tantum tragoezia certaverit, nam hoc si fecisset, totam artem dramaticam commutasset. Verba esse Aristotelea mihi videntur, quod praecipue ex verbo *ἀγωγεσθαι* concludere possumus: nam saepissime hoc verbo tropice usus est Aristoteles, multaque judicia aesthetica de re tragica fecit. Verba ita explicanda sunt: Sophocles singulis fabulis maximam vim tribuit, in singularum fabularum, non in totius tetralogiae unitate maximum momentum posuit, non tota tetralogia, sed singulis fabulis vincere voluit.

Sophoclem actorem tertium addidisse et chorū a XII ad XV personas auxisse jam supra vidimus.

Itaque cum Aeschyli fabula „Septem“ periodo tertia in scenam producta sit, ut docet *ἰπόθεσις*, hac periodo chorū apud Aeschylum eundem numerum ac Sophocleum chorū habuisse, jure ex mea sententia conjicimus: nam si quid lege sanctum erat, id semper fieret, necesse erat. Firmatur conjectura etiam eo, quod Aeschylus in tribus illis fabulis periodo tertia scriptis, in Agamemnone, Chœphoris, Eumenidibus, Sophoclis exemplum secutus, quindecim per-

sonarum chorum produxit. Sed quamquam viri docti dissentient, ex quot choreutis constiterit chorus in Agamemnone, tamen Aeschylum, cum jam in „Septem“ quindecim personarum chorus esset productus, etiam hac in fabula eundem numerum produxisse verisimile est. Ergo efficitur hoc:

Usque ad primam Sophoclis victoriam chorus apud Aeschylum e duodecim personis constituit, post Sophoclis victoriam autem quindecim personarum chorus semper productus est.

### Vita.

Natus sum Henricus Georgius Augustus Rosenkranz nonis Januariis anno h. s. XLVIII Neostadi Holsatiae urbe, patre Georgio, agricola, matre Luisa e gente Stolp, quibus superstitibus laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus a Detlefseno sacerdote, viro illustri ac summe venerabili, anno h. s. LXIII discipulis adscriptus sum gymnasii Ploenensis rectore J. Bendixen. Autumno anni LXVI maturitatis testimonio munitus inter Kiliensis academie cives receptus, rectore magnifico Harms scholis interfui horum virorum ill.: Ribbeck, Forchhammer, Gutschmid, Thaulow. Anno LXIX Lipsiam profectus ibique adscriptus civibus academicis rectore magnifico Brueckner per unum annum scholis Ritschelii Curtii Voigti interfui. Anno LXX, quo anno Francogalli contra patriam bellum commovebant, sponte et ultiro militavi; pace composita et maxima copiarum parte in patriam reducta et dimissa autumno LXXI Kiliam reverti et scholis horum virorum ill.: Ribbeck, Weinhold interfui. Vere LXXII ut me ad examen pararem, domum reverti; sed ne parentibus molestiam afferrem, Blankenesam profectus in schola, in qua artes, quae ad vitae usum pertinent, traduntur, adhuc docui.

Omnibus paeceptoribus meis optime de me meritis summas ago gratias.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 056 489 3



NOV 1 1873



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 056 489 3